

CAPVT I.

De dominio fluminum et riparum ex utroque iure Romano et Germanico differitur.

De itinere nauigantium in ripis disputaturo, primum quaerendum videtur de dominio fluminum ac riparum, vt fundamentis recte atque ex ordine iactis, quidquid superstruxerim firmiore stet talo, omnisque cohaereat doctrina. Ex utroque autem iure Romano et Teutonico mihi differendum est, propter promiscuum vtriusque in Germania vsum. CAIVS lib. II. rerum cottidianarum seu aureorum ¹⁾ ait: *Riparum usus publicus est iure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque nauem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, retia ficcare et ex mare reducere, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicuti per ipsum flumen nauigare. Sed proprietates illarum est quorum praediis haerent, qua de causa arbores quoque in his natae eorundem sunt.* Ipsius fluminis proprietatem ciuitati vindicat MARCIANVS lib. III. Institutionum ²⁾, vt tamen vsum omnibus detur. Praetoribus quidem olim ius competiit, curandi, efficiendique, vt ne quid in flumine publico ripae eius fieret, quo communis vsum impediretur aut tolleretur ³⁾, postea tamen haec fuit Principum potestas, quorum lubitu arbitrioue rerum publicarum vsum modo temperatum limitibusque circumscriptum ⁴⁾ modo sublatum deprehendimus, licet vsum fluminum apud Romanos in vniuersum publicus fuerit ⁵⁾ vt cuilibet nauigandi in flumine trahendique nauigium facultas concederetur.

Proprietates riparum vetere et nouo iure semper eorum existimatae sunt, quorum praediis haerebant, (modo ⁶⁾ ne vsum publicus impedi-

1) L. 5. D. de diuis. rerum.

2) L. 4. §. D. c. l.

3) L. 1. pr. et §. 19. D. de fluminibus. — L. 1. pr. et §. 11. D. ne quid in flumine publ. fiat. L. 1. pr. D. vt in flumine publ. nauigare liceat.

4) L. 1. §. 41. D. de aqua cottidiana. L. 9. §. 1. D. de diuis. rer. L. 17. D. de seruit. praed. rustic.

5) cf. BASILICA L. XLTI. Tit. VII. c. 4. Vol. VI. p. 103. ibique GLOSSATOR p. 167.

6) L. 5. pr. D. de diuis. rer. §. 5. Inst. c. 1.